

RICHOMARVS SVEVVS.



**R**ichomarus patre Sueus & matre Geta, Val-  
liæ regis Gothorum filia nepos extitit. Hic in-  
signi corporis fortitudine præditus, sub Romanis  
stipendia fecit, & ad Danubij ripam ordines ducen-  
do & pugnando sibi magnum nomen comparauit,  
Anno Christi quadringentesimo sexagesimo. Hinc  
factum ut inter patricios Romanos annumeratus  
fuerit. Cum autem eo tempore Maioranus per ali-  
quot annos magna ignauia Romanum imperium  
administrasset, Richomarus auxilio Sueorum fre-  
tus, eum Deitonæ interfecit, atque Seuerum Luca-  
num Rauennæ Cæsarem designauit. Verùm cum  
nec ipse frugi eslet, Anthemius Imperator constitu-  
tus fuit. Hic adeo Richomarum ob uitutes dilexit, ut ei filiam suam uxorem  
daret, & rebus maximis præficeret. Auent.lib. 2.